



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**D. Burchardi VVormaciensis Ecclesiae Episcopi,  
Decretorum Libri XX. ex Consiliis, & orthodoxoru[m]  
patru[m] Decretis, tum etiam diuersaru[m] nationum  
Synodis, ceu loci communes congesti, in quibus ...**

**Burchardus <Wormaciensis>**

**Parisiis, 1549**

Quòd iusti in dieiudicii animarum simul,& corporum gloria lætabuntur. lxvi.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-10722**

iustorum. Hoc nanque de omnibus iustis fateri non possumus, neque de omnibus negare. Nam sunt quorundam iustorum animæ, quæ à cœlesti regno quibusdam adhuc mansionibus differuntur. In quo dilationis damno, quid aliud innuitur, nisi quòd perfectæ iustitiæ aliquid minus habuerunt? Et tamen luce clarius constat quia perfectorum iustorum animæ, mox ut huius carnis claustra exeunt, in cœlestibus sedibus recipiuntur. Quod & ipsa per se veritas testatur, dicens: Vbicunque fuerit corpus, illuc congregabuntur aquilæ: quia vbi ipse redemptor noster est corpore, illuc proculdubio colliguntur, & animæ iustorum. Et Paulus dissolui desiderat, & cum Christo esse. Qui ergo Christum esse in cœlis non dubitat, nec Pauli animam esse in cœlo negat. Qui etiam de dissolutione sui corporis, atque habitatione patriæ cœlestis dicit: Scim<sup>9</sup> quia si terrestris domus nostra hui<sup>9</sup> habitationis dissoluatur, quòd ædificationem habemus ex Deo, domum nõ manufactam, sed æternam in cœlis.

*Quòd iusti in die iudicij animarum, simul & corporum gloria lætabuntur. Cap. LXVI.*

*Ex eod. Pet. int. Gre. ref.* **S** igitur nunc in cœlo sunt animæ iustorum, quid est hoc quod in die iudicij pro iustitiæ suæ retributione recipiunt? Hoc in eis nimirum crescit in iudicio, quod nunc animarum sola: postmodum verò corporum beatitudine perfruantur, ut in ipsa quoque carne gaudeant, in qua dolores pro domino, cruciatusq; pertulerunt. Pro hac quippe geminata eorum gloria scriptum est: In terra sua duplicia possidebunt. Hinc etiam ante resurrectionis diem de sanctorum animabus scriptum est: Datae sunt illis singulæ stolæ albæ, & dictum est illis, ut requiescerent tempus adhuc modicum, donec impleatur numerus confertorum, & fratrum eorum. Qui itaque nunc singulas acceperunt, in iudicio binas stolas habituri sunt: quia modò animarum res tantummodo agitur, tunc autem animarum, simul & corporum gloria lætabuntur.

*De hoc si boni bonos in regno, vel si mali malos in supplicio agnoscant. Caput LXVII*

*Ex eod. Pet. int. Gre. ref.* **N**osse vellem, si boni bonos in regno, vel mali malos in suppliciis agnoscant. Huius rei sententia in verbis est dominicis, quam iam superius protulimus, luce clarius